

1502 factum interfecerunt, capite pila ferrea dissecto. Ejus frater Hieronymus, adolescens nullo reipublicæ munere antea functus, paucis post diebus quam id est Venetias allatum, magno comitiorum favore in Senatu adlectus est præteritis quamplurimis, qui & magistratus gesserant, & ætate longe præstabant.

Patres ut primum ex Admetis literis in spem pacis venerunt, propterea quod hyems suberat, Pisauro mandarunt, ut triremibus viginti apud se retentis, classem reliquam domum remitteret. atque ad regem Pannoniæ literas dederunt, quibus literis, quid ab Admete habuissent, certiorum illum fecerunt, velleque se suum hominem Byzantium mittere significaverunt; atque ab eo petierunt, ut & ipse suum hominem eodem mitteret, quo majore cum dignitate pax æquioribusque conditionibus tractari conficique posset. Uladislaus intellecta re Patrum consilium probavit, facturumque quod vellent, de legato se recepit. Illi Zachariam Frescum, Decemvirum scribam, ire Byzantium jusserunt. Guidus Ubaldus regno amisso ad Aloisium regem Galliæ Mediolanum se se conferens auxilia in Cæsarem postulatum, ubi nihil in eo probitati & innocentia contra perfidiam & crudelitatem esse præsidii cognovit, cum uxore Venetias venit. Patres eum lubentes exceperunt, & domo pro illius dignitate publice tradita, bono esse animo jusserunt: qua ex domo paulo post, cum Metaurense, Cæsaris arcium præfectis & militibus interfectis, oppidisque aliquot receptis, ejus imperio se subtraxissent, suum in regnum facile rediit: atque in eo ab Ursinæ gentis principibus adjutus, devictis hostibus suam dignitatem aliquot menses obtinuit. Ea rerum mutatione plerique se populi reipublicæ commendaverunt, orantes, ut se in deditionem reciperet. Est in Ariminensium finibus mons excelsus, duplici jugo, qua mare prospicit, præruptus: alia parte declivitatem habet late in occalum patentem, vinetis & segetibus uberem. Illis in jugis duæ arces sunt summa in crepidine, quibus oppidum subjacet, civitasque montanorum hominum, qui rempublicam admi-

*Guidus-U-
baldus Ur-
binum re-
cipit.*